



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae  
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E  
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv  
Redivivae**

**Rhay, Theodor**

**Neobvrgi Ad Danvbium, 1663**

III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10835**

emisso, filium enixa est, SIFRIDO marito in Syria contra Saracenos agente. Interea Galo, aulæ Princeps minister, qui incassum sæpius GENOVEVÆ pudicitiam expugnare laborabat, scelus scelere tegens, apud SIFRIDVM *Palatinum* è bello regressum, GENOVEVAM in suspicionem adduxit prolis ex alieno thalamo susceptæ, ipsam *castimoniam ac virtutem, velut ream facturum.* In qua delatione obcæcatus *Sifridus, & Matrem & Prolem* e medio tolli imperat. sed mitiores Domino famuli, densissimæ silvæ latebris utrumque occultârunt. Vbi quinquennio extremâ in opiâ herbis & cervæ obsequiosæ lacte vitam trahentes, à venante SIFRIDO non sine DEI nutu reperti receptique sunt, insigni omnium applausu. Golone verò, dignâ morte sublato, GENOVEVÆ rogatu, *Palatinus Sifridus* elegans in medio Silvarum Sospitatrici VIRGINI sacellum erexit, quod Coniugalem Genovevæ castitatem hodiedum loquitur; sic nimirum *mortalium rerum vicissitudine, læta tristibus, tristia* rursum lætis temperantur. *Ex Freibero, Ericio Puteano & Molano de SS. Belgij.*

## III.

Sacrarium Neoburgense festivo cultu proponit  
CAPVT

CAPVT B. M. MARGARITÆ Virginis, quæ virtutis odorem longè, latèque spargens, ad nos sanctitatis suæ radios transmisit. Corpus duriter habebat; cubile terra, cilicium culcitra, deliciæ panis & fons; demum clarissimorum parentum heres quidquid ab ijs obtinuerat, hilari dein manu in pauperes effudit. quibus alijsque *virtutibus dives hæc MARGARITA*, cælo amata, terris erepta est. *Ex sacrarij monumentis.*

## III.

**I**N *Arce Volmundstein* solemnis commemoratio venerabilis *Hostiæ EVCHARISTICÆ*, & multis retrò seculis *miraculose.* *Ex Ap. Gel. & Annal.*

## IV

**E**NGELBERTVS ex MARCANORVM Comitum profapia anno à Christo nato 1345. tenuit *sedem LEGIAM PRINCEPS Illustrissimus*, prudentiæ laude maximus; morum non minùs maiestate, quàm humanitate venerandus; summus apud alios, apud se nullus; in primis pius ac metuens **DEI.** Quibus virtutibus *Pontifex* captus, allectaque *Colonia* communibus calculis

ac votis